

XI.

10

PRÆSIDIUM
ANGELORUM

Celebrat

CHRISTIANUS GUEINZIUS
Gymnafii Hallenfis
Rektor,

1 6 3 6.

Excudebat Hallis Saxonum PETRUS
FABER *Typographus.*

Alcimus Avitus lib. 4.

Est ille in caelis, numeros qui praeterit omnes
Angelicus sine fine chorus, qui laude perenni
Conclamat celebratq; DEUM, famulantia suctus
Ferre ministeria, & iustis parere supernis.
Quin etiam justos fragilis dum vita fatigat
Tutantur, mundique inter discrimina servant.

Sperè mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curaretne DEUS terras, an nullus inesset
Forſan, & incerto fluerent mortalia caſu.
Nam cum diſpoſiti perquiro fœdera mundi,
Præſcriptosque maris fines, anni que reſuſus,

Et lucis noctisque vices: tunc omnia credo
Conſilio firmata DEI, qui lege moveri
Sidera, qui fruges diverſo tempore naſci,
Qui variam Phœben alieno juſſerit igne
Compleri, Phœbumque ſuo: porrexit undis
Littora, tellurem medio libraverit axe.

Sed cum res hominum tanta caligine volvi
Aſpicit, lætosque diu florere malignos,
Peſte morique bonos: ruruſus labefacta recedit
Religio, cauſæque viam non ſpontè recepto
Alterius, vacuo qui currere ſemina motu
Aſſirmat, magnumque novas per inane figuras
Fortunâ non arte regi: quæ Numina ſenſu
Ambiguo vel nulla putat, vel neſcia noſtri.
Abſtulit hunc tandem præſens *Lux feſta* tumultum
Abſolvitque DEUM, qua cœlica cura pateſcit.

Namque opifex rerum mundi melioris origo
Principio terras magni glomerârat in orbis
Cyclum, de nihilo miracula cœtera rerum
Protulerat; ſed adhuc deerat *Lux aurea* mundo.
Lux ait eſto repente! fuit lux facta repente,
Illustrans cœcum radiis fulgentibus orbem.
Mox Pater ille potens verbo duo lumina magna
Affixit cœlo, jubar hoc inſigne coruſcis
Flammis, & totum radiis vibrantibus aurum.
Addidit, & gelidæ poſt lucida cornua Phœbes.
Cœtera diſpoſuit fixitque micantia cœli
Sydera, quò mundo noctesq; diesq; miniſtrent.
Hos cyclicos orbis, ſtellata palatia cœli

Implevit tandem famulis, geniosq; vocavit,
Qui cœli regerent omnes septemplex orbis.

Aligeri cœtus seu vos Deus addidit æthræ
Primævæ, seu vos fecit sub nomine flammæ:
Seu simul auricomus clavis dispunxit olympum
Ornatus, vitæ primum gustastis amorem:
Sive diu vester mundi præcesserat ortus.

Nam quid enim prodest obnixè dogma tueri
Alterutrum, & contra dissensu tendere magno?
Simplicitas nos alma juvat, nos entheat illa.

Hoc scimus: quod sint Genii custodia mundi,
Omnipotentis Heri famulatus, & usq; ministri;
Qui semper pergunt alacres quo Numinis aura
Dia vocat, solumq; DEI lucrantur honorem.
Vix Deus æterno prompsit de pectore verbum,
Vix nutum cervice dedit, vix grandius ullum,
Aligeræ quæ poscat opem studiumque juventæ
Consultit in medium subito quin turbine lapsa
Assistat quocunq; vocat Suprema voluntas.

Nos itidem cingunt, nos præstant undiq; tutos
Si sumus in nostris operis, vestigia iussa
Si calcamus. Enim Dominus dedit ista supernis
Civibus, ut lateri socient sese undiq; nostro,
Supponantq; manus ne planta relisa salêbris
In caput inque humeros pronò nos turbine sternat.
Nosque ferant tuto gressu, qua more Leonis
Pestis edax urbes fecit cultoribus orbas.
Aeris è tractu corrupto fusa per artus
Quaq; lues nocet afflatu, ceu sibila serpens;
Vim quoq; pes subigat, qua pessima pestis oborta
Fervere de veteri cepit, catulumq; Leonis
Pestis atrox imitata feri quæ proxima sternit:
Aut ubi contagis basilisco lurida compar
Inficit hos, recto qui luminis orbe tuentur

Lumi-

Lumina languentis; velut uvæ liquor in uvam.
Transit, ubi recto se respicit utraq; flexu:
Pestilientiaq; licet furat hic, furat acrius illic,
Et decies centum, deciesq; tot altera letho
Qua latus est lævum dextrumque cadavera fundat.
Nos tamen hoc custode salus utrinque periculi
Immunes facit. Et quid opus longinqua movere,
Inque fidem laudare novo sub sidere testes?

Nos sumus hic *Halli* qui festa hodierna videmus
Illuxisse orbi, *Sanctus* quibus *Angelus* audit.

Hæc proceres Magni repetemus more recepto
Cras ubi Sol non an nobis signaverit horam.
Vos, quos servavit Michaelis gratia magni
Principis, eripuit quos è contagio, venite!
Et grati mecum libamina reddite sacra.
Fiat ut Excelsi lateat sub numinis umbra
Verba feratque DEO, dicatque: salutis es una
Spes nostræ, tua nos habeat tibi gratia curæ.
Sic sumus & tuti, sic nos sine clade manemus:
Tu quicumque DEI tutelæ tutus inhæres
Ne dubita, Tibi pestis atrox, quæ maxima cladum
Clades, nulla nocere potis: te vindice servat
Dextra: metum faciet tibi nil in nocte resultans,
Humor ubi putris facili cen fomite virus
Suscipit, ac horror virus notat esse receptum:
Nec nos sollicitos reddet, quæ more sagittæ
Noxa die volat à flatu languentis in auras
Impete missa citò dans obvia corpora letho.
Cumque frequens nebulis fert cœcam noxia stragem,
Ac Acheronte satus genius, qui commoda servat
Spargendæ momenta luis, mistusque malignis
Halitibus medio vires capit acrior æstu.

Sic si tutor erit Deus omnia damna parumper
Curabis, nihil & de peste nocente timebis,

Fas

Fas ita; cum statuas Numen sublime receptus
Esse tuos, ubi nulla lues te tangere possit,
Nec tua contiguo tentoria stringere gressu
A superis missum pestis sub imagine flagrum.

Quisquis es ergo tibi cupiens adungere cœtus
Istos, excubiasque sacras, quas cœlica præstat
Concio, suspires mecum, mecumque preceris:

Angelus excubitor MICHAEL fortissimus heros
Agminis, æternum nos asserat, eque periculis
Liberet innumeris, præsentia curet,
Ne pereat simul omnis & omnis ubique! sed addat
Mitis opem miseris, contagia lurida tollat:
Lethiferosque ejus condat sacer Angelus enses.
Detque salutaris auras, ne noxia pestis
Omnia divellat nostri pia membra Lycei.
Vivorum DEUS es, te vivi carmine laudant.
Ergò fac vivamus adhuc ut postera turba
A nobis discat qua sis pietate colendus.

Sed mea progenies Musis obnoxia disce:
Quod sit pœna DEI pestis, parere recusat
Ipsi quando malus qualis describitur esse
Omnis homo in sacris. Tu quantula nonne redundas
Innumeris vitiis? neque, te vel teste, negatum.
Iveris, amentis nisi mentis es ipsa probabis.
Tempestas hinc tanta luis, vel deside morbo
Aeris, aut alio quo tandem fonte remanet.
Hinc incanduerit, quæ stragem latius edens
Densa catervatim misero rapit agmina letho,
Nostros imprimis & qua vicinia luget.

Et Schola forte suis jam pridem sedibus esset
Disturbata foras, ni nos defenderet Ille
Angelus excubitor Dux agminis ille MICHAEL.

Vestrum est ô pubes mea libris dedita, tandem
In mores migrare novos, instare precatu,

Ut

Ut D^{eu}s Angelicæ studio pollente catervæ
Lethiferum pariter belli que luis que flagellum
Protinus à nostris defendat sedibus. ILLE
SECRETA CLEMENS ADYTI QUEM SEDE RECONDIT
CEU VIRIDI FELIX RECUBAT SECURUS IN UMBRA.

Declamatores.

JOHANNES Rittner/ } Zittâ-Lusati.
JOHANNES Râbel/ }

De quorum exercitiis.

1.

Pestis dira lues, à qua quit reddere tutos
Qui sunt in sanctis Angelus ille viis.
RITHNERUS monstrat Scriptura judice. Perge!
Angelus inque viis dux erit usque Tuis.

2.

Præsidium Jovæ Davidis nabilia spondent
Istis qui peragunt munia rite sua.
Pluribus hoc repetit KUBELIUS. Ipse peroptas
Istud præsidium t fac tua, semper erit.

Ita censeo

Gueinzius.

P. I. C. T. A. R. A.

Aggissimus vas dux etc usque Ius
R. T. n. v. s. k. s. m. n. d. i. s. t. i. c. t. i. o. n. i. s. P. e. t. e. l. i. c. i.

Widus hoc est: K. n. a. r. i. s. l. o. g. i. c. a. s.
I. h. e. d. p. r. a. d. i. c. a. t. i. o. n. e. s. i. c. e. t. a. s. l. a. p. s. e. r. e. t. e. s.

Quintus



Cl 1926

ULB Halle 3
001 556 118




Stk. 6 = Handschrift

Sb.

Paul Friedrich
Buchbindereimeritor
Merseburg a. S.

1017







10

DIUM

ORUM

rat

GUEINZIUS
Hallensis

3 6.

IXONUM PETRUS
pographus.